Rep. St. Dr.

Poëtae latini recentiores

Nowo-Łacin. liter. 1092

1092

II NOWO-ŁACINA

Majoris Eliae: Epigrammata rosea altera

Vratisl. Typis Baumannianis.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0005594

M. ELIÆ MAJORIS
EPIGRAMMATA ROSEA
altera.

VRATISLAVIÆ, Typis BAUMANNIANIS.

Viro

Magnifico, Strenuo, Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,

Dn. REINHARDO ROSAE

in Rosenigk / U. J. D.

Comiti Palatino Cæsareo,

S. Imperatoriæ Majestatis, ut & Illustriss. Celsissimiq;

Principis Lignicensis Consiliario,

Ducatus Vratislaviensis Cancellario,

& Reipub. Syndico Dignissimo:

Dn. Compatri atq; Fautori meo magnopere & amando, & observando,

Salutem, Observantiam, Officia.

V*itam & felicitatem, quâ* DEI *beneficio floruisti hactenus,* Amplitudini Tuæ *gratulor; utramq; multis adhuc partibus diuturniorem opto,* Patrone Honoratissime. *Causam hujus & gratulationis & voti, hodiernus dies, qui* Natalis tibi illuxit septim' & quinquagesimus, *eloquitur. Atq; ideò non est necesse, ut dictu quidem audituq; svavia, per se tamen perspicua, sermo noster recenseat. Vnum est, quod mea desiderat petitio, ut pro* Bevevolentiâ Tuâ, *præsens meum institutum, gratum Tibi esse sinas. Mactando hujus tam amabilis diei, vel honori, vel gaudio, ex iis Epigrammatis, quæ hactenùs privato saltem calamo ad* Tuam Magnificentiam *misi, paucula seligere, & publico typo describere placuit, nomen* ROSEORVM *iterū sortita, quod pleraq; de* ROSA, *ad* ROSAM *certè omnia, exarata. Agnosce animo; adspice oculis; suscipe manibus, quibus soles talia,* Virorum in summâ dignatione Humanissime. *Ne tamen carmina magis, quàm auctorem diligas. Illa tenuia fortasse & vilia: hic Salutis Honorisq; tui cupidissimus. Cui, si facultas (quod dolet) deest, mens tamen nunquam deest, ita meritis tuis incomparabilibus respondendi, ut vel ipsa posteritas dubitare habeat, magisnè* ROSA *Majorem foverit, an* ROSAM *Major coluerit.* *25 Aug. / 4. Septemb. An. Chr.* CIↃ IↃC XXXVII.

M. ELIAS MAJOR P. L. C.

Gymnasii Vratislaviensis Rector

& Professor, cæterarumq; ibidem

Scholarum Inspector.

I.

De die Olim-Nuptiali.

Dn. R. Rosæ S. A. O.

DElicium *Eusebies*, *Phœbi*, *sanctæq; Themistæ*,
Nunquam sat dignè concelebrate ROSA;
Nunc spaciū quodcunq; tui est (sit longius!)
Sit veniâ licitū connumerare tuâ. [ævi,
Vitæ igitur cælebs duxti sine compare partem:
Partem, animat thalamum dum *Catharina* tuum.
Præ sociatâ, uno protenditur amplius anno,
Vita ea, soli olim quæ tibi ducta fuit.
Addat Vir-numerans sociati & cælibis annos,
Atq; annos ternos subtrahat inde lubens.
Quod reliquum est, duplicet: Mox hinc exsurgere
Annos; fallente haut arte, videbit ovans. [centum
Non modò Vir-numerans cernat prodire tot annos:
Ipse DEUS *velit hos ire, Patrone, tibi.*

facieb. $\frac{5}{15}$ Septembr. 1634. qui dies ante annos è carmine evolvendos *Ampl. Tuæ* nuptialis fuit.

II.

De Dn. D. ROSA, Dresdam, Provinciæ Reiq; Publicæ nomine, abeunte. 7. Novembr. 1634.

B*resla* ut amica, *Duci Bregæ Comes* addite *Celso*,
Mœnia te *Dresdæ* vidit adire, ROSA:

 Sospes

Sospes inito viam; sospesq; maneto; redito,
Cum *summi ingenii Principe*, sospes, ait.
Quæris, quidnam â te cupiam redeunte referri,
Quod non-immeritò me recreare queat?
CÆSAREAM AUSTRIACÆ LAURI clementiam, amoréq;
ENSIFERÆ RUTÆ, PULCRA referto ROSA.
Non dubium est: HIS TAM GENEROSIS STIRPIBUS addet
Frondem OLEÆ, IRENE candida Diva, suæ.
Plantæ aliæ sint magnæ aliis: mihi honore virescant
Æterno, LAURUS, RUTA, OLEA atq; ROSA!

III.

Syndico suo Clarissimo pariter & Charissimo,
Viro Magnifico atq; Amplissimo, Dn. *Reinhardo Rosa in* Rosenigk &c.
Dresdâ, An. Chr. *CIↃIↃCXXXV. VII.* Calend. Sextileis
feliciter reverso, meritissumo ejus gratulatur VRATISLAVIA

D*resdâ, Syndice Clare*, redis. Tibi gratulor ore,
Quo possum; solidè gaudeo *Bresla* mihi.
Teq; tuas propter curasq; fidemq; probatam,
Laudo, amo, me totam debeo grata Tibi.
Si, quæ sum, maneo; tui apud me gratia facti
Stabit. Nunc voti consule verba bene.
Qui PACEM, certè PACIS spem civibus affers,
PACE diu mecum det Tibi JOVA frui!

IV.

Ad
Dn. Reinhardum â Kyckpusch / &c. Sacr. Rom. Cæs. Majestati, ut & Illustrissimo Celsissimoq; Principi Oppaviensi Carnoviensi Lichtensteinio à Consiliis:

& Dn.

&

Dn. Reinhardum Rosam, &c. Viennam publico nomine abeuntes 28. Octobr. 1635.

K*yckpuschi*, & *Rosa Reinhardi*, *duo lumina Breslæ*,
Indole cui purâ pectus utriq; nitet:
Sit felix, plenumq; boni, vacuumq; pericli,
Quod nunc pro Patriæ pace paratis, iter.
Incolumes Urbem prælustrem intrate *Viennæ*,
Imperii, immò *Orbis* quæ tenet una *Caput*.
Induperatoris cœlestia pectora Magni,
Demissâ eloquii flectite voce boni;
Ut quem *Cæsareâ* dignum *Pietate* favorem
Exhibuit, nobis accumulare velit.
Infortunatis nimium, qvos viximus, annis
Ponatur finis tandem aliquando suus.
Lætetur tempus præsens, ventura triumphent,
Atq; Dei celebrent Cæsareamqvé fidem.
Inprimis nunc Bresla velut rediviva, tabellis
Mnemosynes versus hos similesve notet:
Archiducalis honos hic est, ignoscere lapsis,
Quàm vindictâ animos exsaturare suos.
Nec Majestatem hæc minuit Clementia: quamvis
Det veniam, Magnus permanet ipse Deus.

V.

In 28. Augusti S. N. Ann. 1636. quo ante annos nunc 17. Francofurti ad Mœnum, Ferdinandus II. Imperator Rom. electus fuit.

Nunc ante lustra terna, brumas & duas
Concors voluntas *Imperî-Septemvirûm*,

Verè Secundo Ferdinando Cæsari.
Solemnibus modis, regendum, tradidit
Monarchiæ decus ultimæ, quam nomine
Facit inclutam *magna illa Septimontium.*
Quicunq; *Tantum Principem* ex animo colunt
(Omnes colere decebit) Ipsi sedulò
Vitamq; gratulentur & Victorias,
Simul precentur, Proprium sit hoc decus,
sit propria hæc felicitas *Domui Austriæ!*
Et sicut hoc die, Imperî Celsissimi
Olim, Secundo Ferdinando, rem obtulit,
Mœni fluento nobilis *Francfurdia*:
Sic clara *Ratisbona*, tanti culminis
Spem Ferdinando Tertio nunc offerat!

VI.

In vocem planè Cæsaream
Ferdinandi II. Imper. Rom.
Si quis est, qui hoc tempore pacem in Christiano orbe constitui exoptet, is ego sum.

Si quis res, ætas quas antiquissima gessit,
Consulat, aut quas nunc sæcla hodierna gerunt:
Arma petunt bellis plures victricia palmas;
At pacem, bellis arma subacta petunt.
Tu tamen, ô Ferdnande, tui dum militis ense,
Hostiles pœnè sternis ubiq; manus;
Si quis, ais, *reddi quæsso cupit ocia mundo*,
Is sum ego, qui pacis dona redire velim.
Vocem ô *Cæsaream!* & Martem experiatur iniquū,
Quisquis pace fruens bella cruenta parat.

Tu Ferd-

Tu FERDNANDE *oleam* cupiens præponere *Lauro*,
Hæc ſit ſplendidior, mitior illa licet;
Æternos cumulas majori laude triumphos,
Cæſareis aptans *civica ſerta* comis.
Nimirum præfers *ſervati civis* honorem,
Mortibus hoſtili ex agmine mille virûm.
O faxit DEUS, hanc *cornu* felice bonorum,
Mentem, AUGUSTE, tuam *copia* larga beet!
Quodq́; voves, præſtet; quò poſt tot vulnera belli,
Chriſtjanum ſanent ſæcla quieta ſolum.
Et quia mens eadem NATI eſt, eademq́; PARENTIS;
FERDNANDO pietas hæc ſit UTRIQVE bono.
Patrem AUGUSTUM ornet victoria crebra DAVIDIS;
CÆSAREAM SOBOLEM pax SALOMONIS amet!

VII.

De morte Magnifici, Strenui, Nobilisſimi, Amplisſimiq; Viri, Dn. FRIDERICI â GELHORNN in Peterßwaldaw / &c.

Cum CORNU, mihi culta diu eſt, FLAVEDINIS AUREÆ,
SANGVINIS atq; NIVIS tincta COLORE ROSA.
Quod ſumus in terris, id CORNU deſiit eſſe;
In terris ſupereſt planta decora ROSÆ.
Amplius haut AURO hoc utiq; fruiq; licebit:
Longior eſto uſus SANGVINIS atq; NIVIS!

Faciebam 1637. ipſo die 26. Auguſti, qui ante annum Dn. Gelhornio fuerat emortualis.

VIII. In

VIII.

In
Magnum Præceptorem, Magnumq; Discipulum;
hoc est,
Dn. Johannem Dauth, Francum, & Dn. Reinhardum Rosam Misnicum, Vtrumq; Iuris Sacerdotem Eximium.

Infestat *Philyren* dum pestilis aura, Parentes (*an. Chr. 1598.*
Ad loca *Parthenopes* sana ROSAM ire jubent.
DAUTHIUS ingenuà venientem suscipit æde,
Mox juvenem juris prima elementa docet.
Doctoris, dubites, num lingva fidelior esset;
Discipulinè auris promtior, atq; animus.
Certè ea tunc cupidus cæpit ROSA discere, quæ nunc
CÆSAR, & urbs BRESLÆ, SLESIA & ipsa prob:
DAUTHI, quæ vulgasti olim syntagmata juris,
Immortale tibi nomen in orbe parant.
Discipulum tantum, te profecisse magistro,
Major honore tibi cuncto habeatur honos.

IX.

De Nobilißimis duobus Iuvenibus, Iohanne Alberto à Lindenavv, & Friderico à Burckersrhoda: qui Lipsiæ ab exeuntibus copiis militaribus bombardas crebrius atq; inconsideratius exonerantibus, de fenestrâ despicientes, glandibus per capita trajectis, puncto tempore exspirarunt 25 Iulii / 4 Augusti An. 1637.

DESPICIUNT patulis Juvenes dûm fortè fenestris,
Præteriens miles SUSPICIT, hosq; ferit.
Vis latet in tali DESPECTU abscondita fati.
SUSPECTUS talis nil nisi crimen habet.